



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro  
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad  
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones  
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

**Dusault, Nicolas**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660**

§. 1. Natura nobis suggerit in necessitate recursum ad Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

## CAPUT I.

Primum Motivum Fidei in Deum, deducitur ex eo quod in magnis ac subitis casibus naturæ instinctu recurrimus ad Deum.

## §. I.

*Natura nobis suggerit in necessitate recursum ad Deum.*

**N**ON vereor statim ab initio diserte affirmare fiduciam habere in Deo, actum esse humanum nec industriâ acquisitum, nec labore partum, nec studio comparatum, sed potius Dei munus congenitum nobis, ab eodemque donatum, cum ætate confirmatum & iisdem cum vitâ nostrâ auctum incrementis, adeo ut vita nobis citius eripi possit, quam signaculum hoc animis nostris impressum deberi. Est quippe verissimum, nihil cordibus nostris insitum profundius, nihil quod erumpat facilius, nihil quod supprimatur difficilius, nihil quod cujuscvis conditionis hominibus sed communius quam attollere vocentur atque oculos ad Deum, etiam cum de illo minime cogitamus, quoties improvise aliquando atque inopinato casu, injuriâ aut damno afficimur. Hinc fit ut etiam dissolutæ vitæ homines,

nes, Epicuri de grege porci, barbari atque athei qui de Deo nihil unquam didicerunt, qui studuerunt pecudum potius quam hominum ritu vivere, qui conati sunt omnes pietatis sensus à Deo ipsis inditos virtutumque semina extinguere, ut illarum loco vitia quæque & scelera germinent, huiusmodi inquam perditorum hominum monstra, cum gravi aliquo insperatoque malo procelluntur, non possunt evitare hunc naturæ impetū quin continuo oculos ad cælum elevent, opeaque implorent cælestem; sed quisque illorum dicet Domino: *Susceptor meus es tu & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.* Quod si non ore, mente certè cogitationeque dicunt. Non enim potest primis istis naturæ impulsibus obniti, & rationis naturalis intercludere vocem, quæ illi originem sui in cælo esse inclamat, nec alium esse qui se cōservare possit, quàm qui creavit. Quidquid faciat, extinguere nequit lumen hoc quod oculos ejus perstringit. Ita cogit opem à suo Conditore implorare cum aliunde nullam obtinet. Denique necesse est, ut opus ad suum redeat opificem, inago suum agnoscat pictorem & prototypum, creatura suo se creatori reddat & committat.

G

§. II.